

alii habent de Evangelio accusante incredulitatem in specie, certa quadam ratione, per consequentiam, per accidens; neque videtur his responsionibus satis impugnari Anthitesis Antinomorum: *Evangelium indicat et arguit peccatum incredulitatis.* Nisi vero omnia me fallunt, mentem optimorum Theologorum clarius exprimo per leges divinas circa Evangelium, nominatim de acceptando Evangelio, quas §. VI. VII. VIII. exhibent. Hae enim ostendunt et arguunt peccatum incredulitatis, cum Evangelium peccatores etiam ob id peccatum contritos consoletur.

§. XII.

Eadem distinctione inter leges circa Evangelium et Evangelium ipsum componi potest controversia alia domestica de Lege Evangelica. Legitur haec in B. D. CHRISTOPH. WÖLFFLINI Theologi Tubingensis optime meriti Heptade Exercitationum S. de Obligatione credendi in Christum Tubingae a. 1664. edit. p. 86. sq. Nimirum recitat sententiam Autoris cujusdam T. H. (sine dubio THEOD. HACKSPANII Theologi atque Philologi in hac quondam Academia Excellentissimi) e Collegio Manuscripto: Quamvis vero parum fidei habeant ejusmodi Manuscripta, considerabimus tamen sententiam sive fideliter sive minus exhibitam cum ejus refutatione. Phrasis Legis Evangelicae cum Grotio et Calixto statuitur “verissima I. quia incredulitas ceu ἀνομία admitti debet in aliquam legem, non in moralem, quia haec nihil habet de fide in Christum E. in Evangelicam. E. datur Lex Evangelica. Si forte, quod improbable non est, Autor per legem suam Evangelicam idem intellexit, quod nos per legem circa Evangelium intelligimus, plane non pugnat adversus ipsum B. WÖLFFLINVS in Resp. ad arg I. concedens, non credere in Christum esse opus damnabile, quamvis non vi legis stricte sic sumptae

Applicatio ad
controv. T. H.
motum.

B 3

” et